



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XLI. Peccatum mortale hunc effectum non æqualiter in omnibus peccatoribus operari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

*Peccatum mortale hunc effectum non
aqualiter in omnibus peccatori-
bus operari.*

C A P. XLI.

A Nimaduerti debet, tanquam res
scitu pernecessaria, tametsi pecca-
tum mortale orationi valorem, effica-
ciamque aufert, non omne tamen pec-
catum mortale hunc effectum habere.
Mortale peccatum illorum peccato-
rum, qui voluntariè sunt in suo pec-
cato, & quamuis desiderent, cogitent-
que de eo cum tempore poenitentiam
agere, tamen de præsentì nolunt, nec
student inde exire, sed in eo perseue-
rant, vel habent propositum ad id re-
uertendi, illud est, quod orationi non
solum valorem, sed etiam impetrandi
efficaciam aufert. Atque hæc est ora-
tio, de quâ dicit Scriptura, Deum ipsam
non exaudire, esseque execrabilem
coram Deo; quia non ex corde, nec
voluntate procedit, & est aliquo mo-
do ficta, siquidem id, quod lingua pe-
tit,

tit, nempe vt Deus ipsi ignoscat, ipsumque è peccato eripiat, ipse non deliberatè ex corde desiderat. Ac de ijs, qui tali corde Deum orant, & laudant, ipse Dominus ait: *a Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Et de huiusmodi peccatoribus intelligi id, quod Scriptura dicit, Deum orationes peccatorum non exaudire, Deus ipse per Isaiam declarat, dicens: *b Cum extenderitis manus vestras in cœlum, auertam oculos meos à vobis; & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Addensque mox causam, *manus enim vestrae, inquit, sanguine plene sunt;* hoc est, opera vestra peccatis inquinata, corruptaque sunt. Et in his peccatoribus vera est cæci illius à Christo illuminati sententia: *c Scimus, quia Deus peccatores non exaudit.* Non exaudit eos ad confirmandam miraculis sanctitatem vitæ ipsorum; in quo sensu cæcus illam dixit. Nam Christus miracu-

• a *Is. 29. 13. Matth. 15. 8.* b *Is. 1. 15.*
c *Ioan. 9. 31.*

racula faciebat in confirmationem, quòd ipse esset Mèssias, & iustus in mundi salutem promissus; nec eum Pater aternus, verusque Deus exaudisset, nisi fuisset verus Saluator, & Sanctus Sanctorum, qui mundum erat saluatorus. Præterea non exaudit peccatores ad concedendum illis, quod petunt, quando ex proposito in suo peccato manent. Ita declarant hanc auctoritatem Sancti, qui affirmant, Deum peccatores non exaudire. *a* Sic S. Chrysofostomus super Isaiaë verba, *per hoc*, inquit, *liquet, nullam esse orationis utilitatem, quando is, qui orat, obstinate acquiescit peccatis.* *b* Et S. Augustinus ait, tribus modis orationem impediri, primo, cum homo petit, quod ei non convenit: secundo, cum orans, ab improbitate suâ non cessat: cum orat, nec vult illi ignoscere, à quo læsus est. Et de huiusmodi peccatoribus intelligit B. Saluianus illud Dauidicum de malo

homi-

a D. Chr. tom. 1. Isaia cap. 1. *b* Aug.
Fallit citatio.

homine: a Oratio eius fiat ipsi in peccatum. Aliud quippe, inquit, eorum oratio, aliud corda agunt: & dum verbis preterita mala plangunt, sensu futura meditantur; ac sic eorum oratio rixa est magis criminum, quàm exoratrix; quia Deus illam non admittit, sed reprobatur, ac si peccatum esset, propter personę orantis indignitatem, & malitiam. Sic se res habet, loquendo de illorum peccato, qui actu in eo perseverant. Aliud peccatum mortale illorum peccatorum est, qui licet totaliter de peccato non exierint, neque gratiam, nec illius veniam consecuti sint, quod nondum veram contritionem habuerint, neque cum verâ attritione sint confessi, cessarunt tamen peccare factis, & in corde, desiderantque seriò exire de peccato, eiusque pœnitentiam agere, & orant Deum, vt concedat sibi veniam, auxiliumque efficax ad hanc veniam per pœnitentiam consequendam. Hoc peccatum licet impedimentum sit ad
ora

a *Salvian. l. 3. de providentiâ.*

orationis valorem, & meritum, non tamen ei tollit efficaciam impetrandi, consequendique à Deo res salutiferas, quas ab ipso petit. Quamuis enim Deus istos peccatores non exaudiat ex iustitiâ, exaudit tamen eos, & illorum orationes implet ex misericordiâ. Neque de his intelliguntur authoritates diuinæ Scripturæ, quæ negant Deum peccatores exaudire: cum enim isti ex corde orent, & quod petunt linguâ, verè voluntate desiderent, & vna ex rebus, quas Deus vult à se peti, quæque debemus petere, sit venia peccatorum mortalium, & prima iustificatio, exaudit eos Deus pro suâ infinitâ misericordiâ, & concedit illis, quod tam piè ab ipso petunt, augens eis dolorem, & pœnitentiam de ipsorum peccatis, ita vt ea contritio fiat, vel sufficiens ad gratiam ope Confessionis Sacramentalis consequendam attritio. Hanc veritatem diuina Scriptura & Sanctorum doctrina declarauit. Loquens Christus de eo, qui mediâ nocte

abijt

abijt petitem panes ab amico suo, dicit, tunc, *a si non dabit illi panes, eò quod amicus eius sit. daturum illi propter importunitatem, & perseverantiam, cum quâ eos ab ipso petit. Super quæ verba S. Basilius, ut Dominus, inquit, diffidentia tibi, b* quamvis peccator sis, causam omnem præcideret, illud adiecit: *isi non dabit illi, quod petit, eò quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen, & petendi perseverantiam dabit illi, quicquid habet necessarium. c* Et S. Augustinus asserens hanc sententiam, quòd Deus peccatores pœnitentes, qui nondum de peccatis suis exierunt, exaudiat, confirmat eam publicano Evangelico, qui cum peccator esset, cum humilitate, suorumque peccatorum dolore oravit, & eorum veniam consecutus est; de quo ait: *Quanquam iustificatus destiterit esse peccator, tamen ut iustificaretur, peccator orabat, & exauditus*

a Luc. 11. 6. b Ps. 108. D. Bas. in constitut. monast. c. 2. c D. Aug. l. 2. contra epist. Parm. c. 8.

tus iustificatus est, ut desineret esse peccator. a Et S. Chrysostomus, qui obstinatum in suâ malitiâ peccatorē à Deo exaudiri negat, loquens de isto peccatore, qui iam à peccando cessat, sic ait: *Quod animam peccatis obnoxiam deprecatio facile puram reddit, docet nos Piblicanus ille, qui petijt à Deo remissionem peccatorum & impetrauit. Docet & leprofus, qui simul ut procidit ad pedes Christi, & orauit, mundatus est. Quod si Deus corpus morbo correptum celeriter sanauit, multo magis animam, que morbo tenetur, sanabit. Etenim quanto preciosior anima est corpore, tanto hac Deo maiori cura erit.* Ita S. Chrysostomus. Non potest tota mundi sapientia, eloquentiaque satis ponderare, quàm calamitosus, ac miserabilis iste sit peccati mortalis effectus, quòd orationi vim, & efficaciam impetrandi adimit: hoc enim est hominem manere sine ordinario auxilio, quo virtutes ad salutem necessaria acquiruntur: hoc est hominem priuari

a D. Chr. lat. de orando Deum,

tanto ad vincendas tentationes remedio, & esse in periculo cadendi in innumera peccata: hoc est hominem destitui necessario ad consequendos prædestinationis effectus medio, esseque reprobatum: hoc est, amittere respirationem, & leuamen spirituale, manereque animam sine vitâ: hoc est inter hostes versari inermem, & ab illis vulnerari, morteque culpæ, & æternæ damnationis occidi. Timeamus igitur peccatū, quod tanti nobis damni causa est: poenitentiam de eo quamprimū agamus, nosque Dei voluntati submittamus, vt nostræ orationes meritoria, Deoque gratæ sint, & habeant efficaciam impetrandi omnia diuina dona, necessaria, & utilia ad glorificandum Deum, vitamque æternam consequendam. Scriptum enim est: *a Dominus voluntatem timentium se offendere faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.*

X

Per

a Ps. 144. 19.